

SATYRA I.

AD C. CILNIUM MÆCENATEM

PROOEMIUM

Cui magis urbanum donare novumque libellum,
 Quam tibi, Maecenas, deceat? quem optare patrum
 Moratis Satyris malim, castaeque Camenae?
 Primum ob amicitiam patris, atque tuam, patruique;
 Tum quia tu vitia aetatis patienter, et urbis 5
 Haud perferre vales, hominumque nocentia saecula
 Odisti tanta merito correptus ab ira,
 Ut miseros igni aut cupias deperdere ferro.
 Quod simul et mecum facis, et Jove credis amico:
 Atque hoc principium, hoc caput, hæc mei origo libelli est.

Donec erunt homines, vitiorum uberrima semper
 Messis erit: cognata lues mortalibus hæc est.
 Quam neque de virtute diu et praeclara locuti
 Philosophi evellant animis, neque saeva securis
 Lictoresve tui, Dictator, tollere possint; 15
 Ut medici mortem et duros avertere morbos
 Corporibus nequeunt, curvamque arcere senectam,
 Etsi aliquem interdum casus sanaverit aegrum.
 Sed nostra hæc aetas mihi non peccare videtur
 Improbitate adeo, pravorum et amore scelesto, 20
 Multa licet toties multi, et foedissima peccent: